

14. 291.

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO SOLENNIS,  
*DE*  
**MORBORUM  
CAUSIS RECTE  
COGNOSCENDIS,**

*QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO CAROLO,  
BORUSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, CETERA,*

*PRÆSIDE  
FRIDERICO HOFFMANNO,  
COLLEGII MEDICI h.t. DECANO,  
PRO DOCTORIS GRADU,*

*Publice defendet,  
RESPONDENS,  
JOHANNES JOACHIMUS ULRICI,  
HALBERSTADIENSIS.*

*H. L. Q. C.  
A. d. Septembr. CIC 10CC XVII.*

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.*



MORIBORUM  
CANONIS  
CANTABILIS  
DOMINI CANTO  
TRISTIA COHABITATIONIS  
RO. DOCTORIA GRANDE

HOMINES LOCUTUS TULIT

S. O. A.

ALIAS HOMINES LOCUTUS TULIT



DISSERTATIO SOLENNIS,  
DE  
**MORBORUM CAUSIS RE-**  
**CTE COGNOSCEN-**  
**DIS.**

§. I.



I ulla in universa arte nostra doctrina majore utilitate ac fructu sese commendat, atque etiam ad tutam & auspicatam medicationem viam pandit apertissimam, profecto ea est, quæ morborum genuinas & proximas causas paulo exactius tractat & quomodo recte ex cognoscendæ sint, penitus exponit. Quodsi enim medici officium potissimum hoc est, ut morbos, vitæ humanæ inimicos avertat, vel præsentes dextre expugnet, neque minus prudens de eorum eventu judicium proferat, quomodo ad hunc finem obtainendum certiori ratione peruenire possit, ac si de morborum causis perquisiti

A 2

situs

fitius & diligentius inquirendis atque inueniendis sollicitus fit, equidem non video. Quid enim aliud est, corpus a morbis ingruentibus deferidere, quam eorum primordia & origines scire, & iis salubri consilio & medicina depulsandis studium operamque conferre? neque aliud sanare est, quam causas veluti fontes graviorum symptomatum prudenti medicatione remouere: multo minus vero quis rectum de morbi cursu & eventu certum formare poterit judicium, nisi ejus causæ veræ & proximæ planius & plenius perspectæ fuerint. Sapienter itaque proditum est ab Hippocrate ejusque fidis sectatoribus: medicum ad sanandum sufficere, si ad cognoscendum sufficerit, ut ait, Lib. de arte §. 20. Sed pressius hæc exprimit Lib. de flatibus §. 2. Si quis causas corporis affecti probe cognoverit, potens est va' ea corporibus adferre, quæ corpori commodent, nimirum co...varia, morborum natura perspecta. Atque etiam pulchre more suo Celsus scribit: causæ morbi investigatio ejusque primordia & occasio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt amplissimam. Verum enimvero, quo majori & plane mirifica utilitate hæc de morborum, quin imo mortis fontibus rectie cognoscendis doctrina eminet: hoc negligentius & incuriosius fere in medicorum scholis & monumentis vel non satis exquisite & solide agitatur, vel plane silentio transmittitur. Plurimos, qui quotidianis in artis operibus versantur, id tantummodo querere, ut nomen morbi, ex quo æger laborat, noscant, neque multum ulterius de corporis ægrotantis natura, de causæ morbificæ indole ac vehementia, deque sede affecta, deque mali prima origine sollicitos esse, vulgari & ubivis obvia curandi ratione perspectissimum est. Neque hæc nostra adsertio fundamen-

to

to destituitur. Quam pauci enim practicorum, sunt, qui non prius curam morborum adgrediuntur, quam completam & integrum morbi historiam sibi familiarem reddiderint, sine qua tamen ob supinum neglectum ægrotantis, morbi ejusque causæ nunquam recte medendi via ac ratio institui potest. Plurimi auditio tantum morbi nomine mox ad medicamenta præscribenda se accingunt, sique unum remedii genus non juvat, confessim ad alia confugiunt, varios subinde libros practicorum consulendo. Quam exigua spes & fiducia in ejusmodi medicis, qui accuratas morborum historias neglectui habent, constituenda est? Quam pauci præterea sunt, qui ex historiis & morborum observationibus, cum cura etiam consignatis, veras morbi causas elicere, vel quod ad praxin tutam conferat, cum certa & fundata ratione eruere possunt, vera theoria & philosophia corporis humani rerumque, quæ saluti vel damno sint, destituti.

### §. II.

Morborum causas certa auxiliorum genera indicare & ex causis bene perspectis aptas curandi indicationes sibi formare debere medicum, ab omni antiquitate medica constanter; usque huc creditum fuit neque minus quidem recte; nam ineptæ illæ, quas in scriptis suis proferunt, indicationes, quæ e diametro debebant causis esse oppositæ, certo nobis persuadent, nec unquam de genuinis morborum causis verum & utilem se habere & habuisse conceptum. Et ut adsertionem hanc evincam, non alienum erit, pauca saltē huc transferre, cujus generis sunt: furibundum archeum esse sedandum, & depressum ac emortuum excitandum: naturam in opere suo

A 3 defi-

deficientem adjuvandam, ejus errorem corrigendum, naturam vel archæum alibi & minus recte occupatum vel aberrantem sui officii admonendum, discursivum spirituum motum sistendum, perturbatam sanguinis & humorum crasim reparandam, morborum fermenta peregrina ejicienda, viscerum fermenta debiliora, & acido exuperante deturpata reparanda, & acidum certis morbis ingenerandis aptum invertendum, lympham fermentificam, acido - volatilem tollendam, humorum qualitatem malignam temperandam & expellendam esse, genus neruosum roborandum, calidum innatum restaurandum esse & id genus innumera alia, quibus pluribus chartas implere fastidio foret. Quid vero aliud obscuræ hæ, ineptæ, nullius conceptus & nihil reale significantes, neque ad vitæ, sanitatis, vel morborum rationem explicandam, vel ad remediorum inventionem idoneæ, medendi indicationes, quæ proxime ex natura perspecta causarum morbificarum depromendæ erant, manifestant, quam genuinas morborum & symptomatum, imo mortis causas ejusmodi speculatoribus minus esse perspectas planeque incognitas. Quare an quicquam certi vel tuti ab eorum medicatione polliceri sibi quispiam possit, perspicacissimus quisque dijudicet.

### §. III.

Denique quod desideratissima illa veras morborum causas investigandi doctrina, quibus tuta, compendiosa & certa praxis recte superstruitur, tam parum cognita sit, præter alias hæc quoque causa est, quod morbis defunctorum dissectiones rariores sint, & quod per pauci ex illis utile quidpiam & quod ad morbi & mortis historiam, explicandam pertineat, perfecta ratione elicere queant.

Ne-

Neque vero datur certius & melius ad naturam morbificæ causæ & sedem affectam pernoscendam subsidium, diligentiori cadaverum morbis defunctorum inspectio-ne. Plurima nobis occurunt exempla eorum, qui mirificas speculationes de morbi causa in hoc vel illo casu habuerunt, cum alii lienis, alii glandularum mesenterii & hepatis vitia, alii rufus naturam in motibus suis aber-rantem, quidam humorum excessivam acredinem accu-sarunt, ubi dissecto cadavere apostemata in mesenterio aut empyemata in pectore, aut polypi in vasis majoribus vel scirrhositates viscerum, aut extravasationes humo-rum in conspectum venerunt. Utut vero accuratior causæ morbificæ cognitio non semper satis sit ad eam tollen-dam, si nempe remediorum efficaciam vincat, id tamen ef-ficit, ut medicus, an morbus sanationem admittat, nec ne & quænam medicamenta huic malo avertendo idonea sint, quæ non dijudicare possit. Vehementer igitur & op-tandum & laborandum est, ut ad salutaris artis incremen-ta provehenda morborum historiæ accuratius conscri-bantur, iisque perpetuo fructuose admodum cadaverum sectiones subjiciantur. Cæcum enim in medica atque ve-ra scientifica theoria esse oportet, qui hæc instituta im-probare vel ad medicum usum minus pertinere improvi-de ac præcipitanter asseverare velit.

#### §. IV.

Verum enimvero, quam nobilis, quam utilis & pro-ficia hæc de causis morborum est cognitio, tant⁹ difficultis & minus firmis conjecturis circumsepta est, ut in præstan-tissimis medicis jure meritoque is haberi debeat, qui in ea excellit. Etenim revera hæc est, quæ medico nominis sui famam ac celebritatem quam optime conciliat. Et hinc

hinc, non absque causa justa *Johannes Langius Lib. I. Epist. I.* conqueritur: quod minus celebre nomen sit medicorum Germaniae apud exterros, quia nempe præcipua medicinae pars diagnostica, quæ ex suis signis morbi naturam, causas & substantiam docet cognoscere, vel ignoratur aut ob desidiam negligitur. Nostrum itaque & omnium ingenuorum medicorum erit, majori cura ac diligentia hanc nobilissimam medicinæ partem in salutem medentium & ægrotantium agitare. Cum vero hoc excellens argumentum paulo latius pateat & usu sese egregio admodum commendet, placuit nunc speciminis inauguralis loco morborum causas non tam facile obvias, quemadmodum certis indiciis eruendæ sint, præsenti Dissertatione paulo penitus inquirere. Deus, inexhaustus ille omnis boni fons, ad veritatem, quæ plana, simplex & perspicua, ut semper, ita etiam in medicina est, docentium & dissentientium animos felici sidere eo perducat, ut sub ejus potenti numine artis nostræ præsidium a cœno multiplicium & ineptarum opinionum ac speculationum repurgetur, utilissimis vero & in praxi proficuis occupatiibus ejus excellentia adstruatur.

## §. V.

Ante vero, quam ad pleniores instituti nostri tractationem descendamus, illud præmonere vixum fuit, nostrum in præsenti discussione haud esse institutum, ea, quæ ad diagnosis singulorum morborum pertinent signa non adeo incognita, & ex quibus denominationem morbus accipiat, proponere, multo minus prognosticam doctrinam hic tractare, sed hæc præcipua ac princeps nostra erit cura ac institutio, ut doceamus, quibus indiciis veræ & proximæ causæ morborum ac symptomata-

ptomatū, ut in prognosi ac indicatione medicandi, eo certior & felicior sit medicus dignosci possint & debent. Neque tempus & locus vacabit hoc amplissimum tractandi negotium in totum sub præsenti discursione absolvere, sed quæ dicenda remanent, in alia tempora differre nobis erit liberum ac integrum.

### §. VI.

Nostræ vero tractationis exordium ab evolutione malignitatis, quæ communi medicorum consensu compluribus morbis summum adjicit periculum, petere volumus. Nihil certius est, plurimos inter mortales morbis extingui, quibus malignitas adsignatur, ceu causa summi periculi & mortis, & quæ prudentiam medentis & virtutem medicamenti facile eludit. Quot febres acutas & præcipue epidemice grassantes habemus malignas, quæ vehementia symptomatum multos interficiunt, quales sunt purpuratæ petechiales catarrhales, pleuritides, dysenteriæ, anginæ, variolæ, morbilli. Quemadmodum igitur & quibus indiciis hæc malignitas in morbis cognosci & a qua causa ejus vehementia dependeat, primo inquirendum erit.

### §. VII.

Malignitatis itaque in morbis acutis nota est subita & plenaria omnium virium prostratio atque defectio, quæ hisce indiciis se prodit: omnis animi ac corporis vigor dejectus est, artus robur & potentiam pristinam in movendo amiserunt, pulsus arteriarum ob systolen cordis contractiorem & languidam exilior & debilior fit, nullus placidus & qui reficiat, est somnus, sed somnolentia quædam magis magisque debilitans, vel assidua vigilia premit, jacent plerumque sine dolore & sine singulari

B

sen-

ſensu neque calor in exterioribus partibus, adeo intenſus est, ſunt anxii & inquieti, mutant facile ſitum, inque eo erecto perquam facile in animi defectionem incident, eo quod languidior cordis contractio propellendo ſanguini via recta & perpendiculari ad caput minus ſufficiat, alvus minus recte respondet, urina plerumque tenuis & crebrioribus vicibus emittitur, respiratio eſt diſſicilior, male cohærentia loquuntur & fine singulari convulſione valida frequentius intra paucos dies extinguitur.

### §. VIII.

Ex hiſce liquido appetat, malignitatem viribus, quæ vitam gignunt & tuentur, infenſiſſimam eſſe. Quid vero ſit malignitas & cur tam pernicialis fit, non alienum erit, hic exponere. Sicuti vero in demonſtrandis cauſis omnia ficta nomina procul abeſſe debent: ita etiam, ſi quis defectionis virium & malignitatis cauſam per calidum nativum debile vel extinctum, vel per ceſſationem naturæ vel archæi a motu ſuo & direktione corporis, aut per ſpirituum vitalium oppressionem explicare velit, iſ certe nihil, quod concipi poſſit, quod vere exiſtat & quod in applicatione & in connexione uſui fit, ad fert. Miſſis itaque ejusmodi fictis terminis, qui nonniſi ignorañtiæ vela ſunt, ad cauſas ſenſui & rationi manifestas inveniendas potius nos confeſramus. Vires igitur, quæ corpori noſtro inſunt, non alias agnoscimus, niſi motrices, & quæ a convenienti boni languinis in partes in fluxu, ſalvis tamen & integris nervis, profiſcuntur; Atque adeo eos p̄ae aliis eſſe robustiores, qui ampliora haſtent vasa, qui fibras compactiores & laudabilem ſanguinis copiam obtinent, imbecilliores vero eſſe, quibus fibræ

sunt laxæ, vasa angustiora & quibus parcior sanguis inest, animadvertisimus. Præterea corporis nostri vires a convenienti vietu, a liquido subtili & spirituoso, ab aëre puro & temperato egregie foveri, & depresso mox resuscitari, quotidianis experimentis edocemur, cum contra ab inedia, a vietu incongruo, omnis spiritus & virtutis experte, ab odore vel medicina vaporosa & graveolenti ingentem virium prolapsum observemus. Neque minus practicis cognitum est, omnibus iis affectibus, qui a conferta crudorum & impurorum humorum vel sanguinis copia originem suam trahunt, notabilem languorem viriumque collapsum perpetuo fere jungi. Manifestæ igitur sunt virium, quæ vitæ & omnium actionum vitalium præfides sunt, causæ, præfente enim sanguine temperato, subtilibus elasticis & volatilibus partibus referto & sufficiente facto adfluxu omnes partes solidæ & motrices earumque princeps cor debitum suum tonum, robur motumque constrictioñis & dilatationis, qui universam cœconomiam animalem gubernat, accipiunt.

### §. IX.

Venio nunc ad malignitatis indolem, causam atque originem inquirendam, quæ non rectius quam ex interiorum perlustratione in iis, qui ex acutis & malignis morbis decesserunt, haberi potest. Si itaque observationes & dissectiones eorum, qui peste, petechiis & aliis malignis febribus demortui fuerunt, consulamus, & quæ a nobis ipsis hac in re visa sunt, recordemur, nunquam non notabilis vel in ventriculo vel in intestinorum volumine consistens putrida, fœtida corruptio, sive sphacelatio se obtulit, ut inducamur credere, nunquam veram malignitatem periculi plenam adesse, ubi non quædam ex solidis

partibus interiori sphacelo & putredine infectæ fuerint. Nihil enim est in universa rerum natura , quod magis animantibus aduersetur, quam ipsamet putredo est. Hæc enim intestinus & celerime vires sumens destructivus motus est, qui non modo partium fluidarum texturam ac mixtionem, sed & solidarum structuram invertit, dissolvit & subtiliores fluidas, impetum ac motum facientes partes hostili vapore contaminat. Videmus sphacelum exterioribus partibus inhærentem subito & omnes vires exaurire & vitam brevi extinguere. Multo magis interior ejusmodi partium corruptio exitium creabit præsentissimum. Et quemadmodum, qui ex cancro maligno , cui deterrima putredo semper jungitur , vel ex sphacelo moriuntur, haud dissimilibus symptomatibus, ac illi qui peste & malignis febribus decedunt, divexantur, ita horum unam candemque esse causam, nempe putredinem, non male concludimus.

### §. X.

Neque vero tantum putredo & sphacelatio internarum partium in acutis & malignis febribus reperitur, sed hæc ipsa funestorum morborum aliorum frequentior causa est, ac nos putamus. Atque nostrum de morbis plurimis feralibus & periculosis judicium hoc est: plerique pro causa putridam corruptionem internam agnoscunt & raro homo ex morbis moritur, ubi non putrida quedam corruptio in causa fuerit. Quemadmodum vero ipsa putredo gradu majori vel minori differt, & alia in sero, alia in sanguine est, ipsæ etiam partes, quibus insidet, ratione structuræ & usus valde disidentes sunt, ita effetus quoque & vis putredinis diversas est, cum quedam vehementius agat & celeriter interficiat, alia mitiori mo-

do

do incedat, magisque chronica sit, ut videnus in febribus hecticis, quæ nunquam non a corruptione viscerum foventur & phthisi, hydropi, cachexia & scorbuticæ in fine ordinario fere accedere solent, quæ febres putridæ similibus fere symptomatibus progrediuntur, tantum quod lentiori gradu ad mortem graffentur. Quis enim ex iis, qui artem quotidie exercent, ignorat, hecticis & quæ ultimo hydropicis, scorbuticis & cachecticis superveniunt febribus, ingentem corporis languorem viriumque prostrationem cum plenaria ad motum & labores impotentia, appetitus identidem totalem extinctionem, nec non somni quieti & reficientis assiduum defectum & calorem consumentem cum sudore colliquativo & marcore incredibili, pulsusque continua celeritate ac debilitate perpetuo conjungi; tandem vero alvi profluvi, pedum intumescentia, crebrior animi defectio finem vitæ claudunt. Interiora si perlustramus, ut hepar, lienem, pancreas, maxime omnium vero omentum, interdum etiam uterum, in thorace pulmones corruptos ac putridos cum extravasato ibi putrido sero plerumque reperimus.

### §. XI.

Tametsi vero morbi, a putredine & sphacelo interno orti, plurima signa communia habeant: nihilo tamen secius pro differentia viscerum, quæ occupant & pro natura etiam putredinis, celerius vel tardius progradientis, peculiaribus quibusdam notis, quas breuiter strictimque recensemus, distinguuntur. Primo vero notandum est, deterrimæ indolis esse eam sphacelationem, quæ partes ventriculi & intestinorum nerveas membranaceas occupat, eo quod celerrime interficiat & morbos

B 3

etiam

etiam peracutos, imo acutissimos progignat. Si vero in ventriculo consistit, præter summam illam virium prostrationem & signa malignitati communia singularis nausea & quedam eructationis lymphæ in os species, & ad vomitum inclinatio, itemque singultus cum sensu quodam frigoris circa præcordia interno sese exserit: præcedit summa anxietas corporisque jactatio, & fixus in regione præcordiorum ardor; qui tamen cum dolore subito cessat. Si sphacelatio ventriculi a veneno vel maligno pharmaco in robustis & sanis antea corporibus producitur, brevi necat & delirium ac convulsio cum plenaria pulsuum per aliquot horas deficiens mortem antecedit. Si vero sphacelus intestina tenuiora occupat præter assiduam febrem dolor cum interno incendio circa umbilicalem regionem percipitur, alvi nimia strictura est, succedit tandem summa virium defectio cum sudore frigido, pulsu debili & inæquali, sensus doloris simul & semel perit & excrementsa foetida, interdum sanguinea sponte feruntur. Quæ signa priora inflammationem, posteriora vero sphacelum designant, ubi iterum notandum hoc est, quod si a causa violenta externa, ut ab intestino in hernia incarceratedo, ab assumto veneno vel pharmaco, virulentiae non experte, aut ab animi graviori affectu producta fuerit, delirium & convulsio mortem celeiorem efficiat. Neque duodeni inflammatio eique succedens sphacelatio infrequens est, nam morbis acutis, cholerae & febribus cholericis lubentius supervenit, & gravissimæ quoque ira soboles est: hisce vero notis distinguuntur: ingens & valde anxius viresque prosternens cum sudore frigido circa dextrum regionis præcordialis latus constans est ardor, cui facies lurida & flavo colore

lore tincta jungitur, quia spastica strictura liber ad intestina descensus præcluditur, hinc ea per vasa lymphatica ad sanguinem regurgitat: comitem quoque duodenii inflammatio plerumque habet singultum, & incredibilis anxietates, & inquietudines ob nervosas partes valde graviter lacefitas.

### §. XII.

Si quando putrida corruptio abdomen inque eo contenta viscera hepar, lienem, omentum invaserit, tum non tam cito tragediam suam conficit. In hydropicis, scorbuticis & cacheticis se prodit per totalem ciborum aversionem, pulsum eelerem, debilem & inæqualem, somnum laboriosum. Certum vero ac plane infallibile viscerum in abdominis sphacelatorum signum est, si totalis appetitus prostratio indefinenter per aliquot septimanas laborantem premit, & hanc nunquam in ejusmodi morbis fausti ominis esse plurimis experimentum confirmatum habeo. Putredo enim adjacentibus visceribus insidens non potest non ventriculi robur eneruare & liquoris gastrici menstrualem vim atque activitatem penitus infectione contaminare.

### §. XIII.

Neque uterus ab ejusmodi fœtida perniciali corruptione plane immunis est. Hæc in puerperis vel in aliis, maxime nimio sanguinis profluvio debilitatis, sexus sequioris corporibus facile contingit. Visitur ab initio inflammatio & febris acutis inflammatoria ex suppressione lochiorum frequentissima, qua sedata circa pubem frigoris sensus est, ad alvum, maxime ad urinam stimulus & fluxus lochiorum, antea pertinaciter cohibitus, brevi ante mortem sponte sua demum procedit.

### §. XIV.

## §. XIV.

Phthisicis & qui ex pulmonum diuturno vitio laborarunt, tandem putredo cum febre putrida sic dicta heretica, quæ vires paulatim opprimit, supervenit, cuius indicia sunt præter foetidam ex ore exhalationem facilis in situ erecto animi defectio, expectoratio cessans: pectorisque oppressio cum spiritus difficultate fit. Aetate confecti tandem in similem viscerum corruptionem incidunt, omnis perit appetitus, assiduus adest calor, unde vires paulatim consumuntur, ut tandem penitus deficiant, qui affectus communiter marasmus appellatur. Ceterum internis viscerum corruptionibus individuus comes est febris assidua, cum calore non adeo acri & externo, qui tamen vires & succos paulatim consumit: ea tamen ejus est indoles, ut certis intervallis remittat, non vero intermitat, postea exacerbetur, donec tandem plenario virium defectu penitus opprimat.

## §. XV.

Intestina in deterioris notæ dysenteria, inflammatione acuta & sphacelo quoque corripi procul ab omni dubio est: illam atrociam cum febre, siti, interno ventris ardore, tormenta penitus manifestant: hujus vero subita indolentia, quando confessim simul & semel dolor qui antea erat intolerabilis, & ardor desinit, haud fallax indicium est: majori simul reddito in excrementis foetore & virium decremento adauerto. Rectum etiam intestinum ex acutissimo & immani ob profundiorem haemorrhoidum internarum tumorem dolore foetidissimæ sphacelationi obnoxium esse, non semel, sed saepius experti sumus: haec mox latius serpit & tam intestina quam partes exteriores nates scrotum tetra putrilagine cum nigro-

nigrore ac tumore inficit. Fæces, quæ sponte plerumque feruntur, intolerabilis, ob iis admixtum putredinis fermentum, sunt fœtoris, tandem febris continua, sed mitior, cum totali virium lapsu juncta, cuius naturæ solet esse ejusmodi putrida & vere maligna, vitam extinguit.

## §. XVI.

Corripit quoque sphacelus ipsas membranas cerebri, ejusque substantiam, qui tamen non nisi præcedente inflammatione aboritur, & hisce indicis se se manifestat. Primum arteriæ temporum & interiores cerebri vehementius pulsant, facies est rubicunda, oculi sunt feroes, somnus nullus, urina tenuis, omnia furoris plena, que notæ phrenitidis sunt. Postea subito compositus fit animus, & ad intelligentiam reddit, nihil vero nisi de summa virium defectione ægri conqueruntur: facies ante rubicunda in luridam mutatur, pulsus inæqualis ac debilis est, & sponte sæpe sanguis e naribus, paucus tamen, prodit, & hæc omnia inflammationem in sphacelum transiisse, & in propinquæ mortem adesse, significant.

## §. XVII.

Est vero adhuc alia corruptionis sanguinis, non a eo tamen exitiosæ, species, qua ille extra vasa consistens ex inflammatione præcedente in purulentam substantiam secedit, & apostema, quod nihil nisi ingens purulentæ materiæ in quadam parte collectio est, efformat. Prout vero ejusmodi abscessus varias, easque vel internas, vel externas prehendit partes, ita differentibus etiam & peculiaribus signis cognoscitur. Et quum subinde apostema longo artis usu exercitatos medicos fallat, non incongruum erit, hoc loco exponere, quibus in-

C dicipiis

diciis in universum & speciatim etiam sese prodat. Igitur in genere sciendum est, omnibus abscessibus, ubique etiam lateant, febrem continuam, lentam tamen, quæ & vires & succos depascit, cum sudore continuo, præsertim nocturno, quem colliquativum vocant, conjungi, adeo, ut corporis partium marcor indivulse sequatur.

### §. XIIIX.

Primum vero apostema non raro abdominis regionem invadit, atque inter peritoneum ejusque musculos sedem fixam habet. Cognoscitur, si vel supra, vel infra umbilicum, aut ad latera circa costas spurias, versus dorsum fixus cum tumore duro dolor per longius tempus persistit. Præterea inappetentia, calor lentus cum insigni marcore, pulsuque celeri adsunt, urina sedimentum deponit, & vires indies decrescunt. Quæ symptomata, valde dissidentes medicorum conjecturas subinde peperisse meminimus, quum alii malum pro inflatione intestini coli, alii pro glandulae mentalis tumore & scirrho, non nulli pro dolore calculi habuerint. Adhibitis vero externis mollientibus cataplasmatibus tumor mox pure repletus valde increvit, & apertus copiosum cum foetore pus effudit.

### §. XIX.

Si quando abscessus thoracem occupat, quod saepius ex male curata pleuritide & vera & spuria, aut ob graviorem casum, vel etiam ex morbillorum aut variolarum reliquiis accidit, tunc identidem continua lenta adest febris, sed tamen specialibus indiciis ejusmodi abscessus se prodit. In dextro vel sinistro thoracis latere dolor est obtusus, cum anxietate inexplicabili, tussi nocturna,

cturna, spirandi difficultate, pulsus est celer & languidus, partes marcore confectæ, & inter has maxime peclius emaciatum. Sano vero lateri vix incumbere possunt. Si vero ingens puris quantitas ad decem vel ultra sæpius libras in thoracis cavo fluctuat, tumor in latere affecto circa dorsum satis manifestus a nucha usque ad ilia sæpe prominet. Quando pus extra vasa effusum fuerit, id diuturniori mora acre factum, diaphragmatis nerveos processus vehementius lacinat, & dolor intolerabilis non procul a lumbis oritur, qui sæpe sagacioribus medicis imponit.

## §. XX.

Si abscessus adhuc pulmonibus includitur, vomica appellatur, quam fixus ac diutinus in pectori dolor demonstrat qui nec per sputa, nec per sanguinis detractionem, neque per infusa calida resolventia quiescit, sed cum lentafebre, tussi sicca, anhelitus pectori, marcore, & largo debilitante sudore continuat. Magnitudo vero vomicæ ex majori spiritus angustia, ingenti anxietate, pulsu duro, quandoque intermittente sub erecto collo dijudicatur. Si vero aperta vomica fuerit, tussi fœtidi quippiam puris ejicitur.

## §. XXI.

Evenit quoque non raro, ut variis ex causis, præsertim vehementiori inter ram lapsu ac contusione intra mesenterii membranas abscessus colligitur, cuius notæ non semper cognita adeo faciles sunt. Sentitur in medio abdominis quædam gravitas sine manifesto dolore vel tumore, febris est lenta, virium languor, & animi crebrior defectio cum sudore frigido urget, quandoque vires melius sibi constant, interdum sanies eum excrementis per alvum secedit. Inhorrescit sæpius æger,

ger, & hæc symptomata diutius detinent. Si ex disrupto abscessu pus in abdominis cavum, ipsamque pelvis descendit, stimulus cum dolore fit ad urinam, sed parum redditur. Quandoque puris acrimonia, intestinorum tunicas rodendo, immanem dolorem cum febre ac tumore procreat. Si vero in dorso intra peritonei membranam, & musculos psoas usque ad os sacrum puris copia colligitur, præter alia consueta abscessuum symptomata dolor cum tumore ardens in lumbis continuus & satis gravis ac fixus, qui situ in dorso exacerbatur, percipitur, & tunc urina, pauca tamen, variis fibrillis repleta, cum stranguria emingitur. Observatum quoque a nobis fuit apostema in utero, post abortum ab assumto vehementi emetico productum. Diutius laborantem dolor circa os sacrum & pubem cum febre, alvo adstricta, urinæ difficultate, exercuit: facta sectione pus foetidissimum circa uterum ad libram & ultra fluuerat, & totus uterus pure scatebat, factis hinc inde in eo aperturis. Ceterum renes patent quoque abscessibus, qui totam eorum substantiam non adeo raro ita consumunt, ut teste anatome nihil præter membranosum concrementum sacculi in modum contractum relinquantur. Tali in casu mingitur urina mox cruenta, mox ob puris miscelam lactescens, interdum glutinosa, crassa, tenaci materia mali odoris referta, quæ in fundo haeret, neque ad vitri agitationem dissolvitur: ejusmodi abscessus in plethoricis & scorbuticis feminis, cessante circa quinquagesimum annum mensium fluxu, notavimus.

### §. XXII.

Neque caput ab abscessibus penitus immune est, quandoquidem intra parotides, præsertim apud infantes,  
si pus

si pus detinetur, intolerabilis circa aures cum tumore fit dolor, vigilias ad delirium usque producens. Intra cavitates ossis frontis abscessus quoque delitescit, qui intensissimum in fronte & circa radicem nasi dolorem, totum caput in consensum trahentem, excitavit, sed pure crasso fœtido per nares effuso ab applicato convenienti errhino tandem conquevit.

## §. XXII.

Est vero adhuc aliud genus abscessuum sive tumorum, qui non purulentum sed lymphaticum & serosum humorem continent, neque ex præcedente inflammatione, sed potius ex lymphæ circulo impedito originem suam trahunt, quorum sedes minime in visceribus vel in partibus sanguine plenis est, sed intra membranarum tunicas detinentur, neque humor, quem continent, erodentis, ut pus, est naturæ, inde etiam non partium, quibus inest, substantiam depascit. Hi tumores non raro prægrandes fiunt, ut vel plures libras seri puri, quod calore in offam, ut albumen ovi, abit, complectantur. Ejusmodi tumores sæpius hærent intra duplicaturam pleuræ, & cavitatem thoracis replent: quibus disruptis ingens pectoris fit inundatio, quæ pulmonum expansionem & motum diaphragmatis impediendo hominem suffocatione tollit opprimitque. Ejusmodi casum pronuper habuimus hic loci in generoso militiæ præfecto, qui de dolore in pectore continuo, fixo & compressorio finiftri lateris conquebatur, paulo difficilis cum tussi sicca perpetuo aderat respiratio, quæ intervallis, præsertim de nocte ab incongruo maxime situ, ita ingravescebat, ut summa anxietas cum suffocationis metu per aliquot horas præfens fuerit, pulsus continuo frequens, mollis tamen, sine

siti vel notabili calore, neque appetitus neque somnus plane deficiebant; pedes frigidi & una cum scroto tumore cedemato laborabant, exterius in thoracis regione nihil tumoris, nihil ruboris animadvertebatur. Tum a paulo fortiori thoracis commotione confestim in maximam & continuam spirandi angustiam atque anxietatem, quæ ad quindecim horas durabat, incidebat, donec tandem infeliciter misereque suffocatus perierit. Aperta thoracis cavitate ejus latus sinistrum totum seri minimum octo libræ inundabunt, quod largius, levi saltim incisura facta, effluebat. Postquam igitur thoracis cavitas humore depleta fuit; membranaceum receptaculum, tenue tamen, ad latus sinistrum in conspectum venit, quod sine omni dubio ex membrana pleuræ productum fuit, cum intra ejus duplicaturam ex vasis lymphaticis disruptis lymphæ collecta talem capsulam fibi efformaverit. Reliqua viscera satis erant salva, nec alio, nisi quod ex morbi diuturnitate contraxerant, vitio laborabant. Concludimus exinde, sæpenumero hydropem thoracis a ruptione ejusmodi abscessuum serosorum originem suam trahere. Hujus affectus ortum ægrotus acri & intenso frigori in expeditione Rigenſi, quod passus fuerit, adscripsit.

## §. XXIV.

Neque dubium est, quin ejusmodi serosi abscessus & tumores in abdominis cavitate sæpe occulti lateant, & vel in mesenterio aut in dorso intra duplicaturam peritonei, vel intra uteri membranas, quandoque etiam intra ipsum ovarium contineantur, qui disrupti, facto semper adfluxu majori, seri copiam in abdominis cavitatem ingentem effundunt, quod corruptione dum inficit viscera, fatalem dicim accersit. Evidem ejusmodi tumores non sine diffi-

difficultate cognoscuntur, sed a posteriori magis & noxiō eventu atque effectu demum se produnt, si videlicet in mali habitus corporibus & diutius infirmis subito hydrops gignitur, abdomen intumescit, & fluctuantes aquæ vario in latera decubitu percipiuntur, id quod etiam concludendum est, si quis diurno pectoris dolore & respirandi angustia affectus confessim in suffocativam spirandi angustiam non superabilem incidit, ubi certe subiti ejusmodi hydropis generatio non aliam causam, quam ruptionem ingentis aquosí tumoris & effusionem copiosam seri in cavitates agnoscit. Quod vero intra membranas tumores, quibus extra vasa positus humor, infideat, gigni possint, evidenti testimonio est ille tumor, qui salvis internis visceribus intra duplicaturam peritonei producitur, & mole sua abdomen ejusque musculos nire distendit, adeo, ut verum hydropeū mentiatur. Quo in casu *Nuckius* aliique paracenthesin, quæ in ana-sarca nunquam non plus exitii, quam salutis adfert, summe proficuum observarunt.

### §. XXV.

Ab abscessibus ad partium exulcerationes nos convertimus, quæ ab illis non parum differunt, tum quod abscessus copiam materiæ, & purum, album, coctum pus, ulcera vero parum ichoris & seri fœtidi fundant, tum quod abscessus magis partes sanguineas succulentas, ulcera vero membranaceas, frigidas & siccas adoriantur ibique sedem fixiorem habeant. Neque ventriculus, qui partium membranacearum facile princeps est, ab his immunis est. Meminimus olim civem Mindensem omniam Spiritus vini ingurgitationem & frequentiorem iram acerbissimo dolore ac tumore circa præcordia cor-

reptum

reptum fuisse, qui sumto cibo increscet, utut vomitu non ita multo post rejiceretur. Accedebat universi corporis marcor, frequens erat lipothymia, alisque excrementa nigricante colore interdum tincta erant. Per dimidium sere anni misere jacuit, tandem fato concessit. Aperto cadavere, ventriculus parvus & valde contractus, crassus tamen & albicans inventus fuit, rugis & etiam punctulis intus scatens, quibus incisis materia saniosa foetida exstillabat. In corde vero & omnibus vasis pa-  
rum sanguinis reperiebatur.

### §. XXVI.

Vesicam quoque non raro satis chronicum & molestum ulus, sive ex luis Gallicæ contagio, sive ex calculi grandioris attritu, aut ex scorbutica humorum acrimonia erit, fovere non novum est. Id vero magna urinam emittendi cupiditas, cum ardore & difficultate manifestat. Urina mingitur eraffa, quæ subinde instar albuminis ovi cohærens simul ex vase effunditur, inque ea non modo pelliculae & furfuracea quædam natant, sed & serum viscidum ac purulentum in fundum vasis dejicitur. Dolor valde gravis pubis ac perinæi regionem occupat, cuius tanta saepius saevitia, ut partes extremæ inde inhorrescant. Si exulceratio totam vesicam occupat, secedunt subinde sanguinis grumi cum multo ardore. Quandoque in scroto tumor inflammatorius appetet, qui ad suppurationem pervenit. Ab ejusmodi ulcere vesica densatur & corrugatur, exterius albicat, fibræ contractæ, nigricantes ac sphacelatæ apparent, & pus in vesica cuniculos format; sique materia foetida acris in pelvem descendit, vicinæ etiam partes putredine inficiuntur, qualem observationem *Miscell. Natur. curios. vid.*

Dec.

*Dec. II. Ann. VI, observ. 100.* commemorant. Si calculus in vesica ejus exulcerationis causa est, tenesmus, cuius vehementia non raro rectum propellitur, perpetuo urget, urina est purulenta & arenosa, inque pelvi pruritus percipitur, & sub situ erecto dolor augetur.

### §. XXVII.

Si vero prostratis, quod saepius in lue infectis accedit, exulceratio insidet, ut plurimum in consensum collum vesicæ trahitur, crebrior ad urinam est stimulus, sed cum intenso ardore & dolore mingitur & difficulter ob urethram spasmo contractam redditur, præterea ex glande membris subinde liquor, qui consistentia, colore & acrimonia differt, effluit, vel manu exprimitur, atque in urina sedimentum albicans cum filamentis natantibus conspicitur.

### §. XXIX.

Ad alias jam deveniendum est causas, quæ valde difficultum & plerumque lethalium affectuum sunt genitrices, & haec sunt sanguinis vel etiam seri extra vas a factæ effusiones & stagnationes. Inter has ea, quæ fit intra cerebri ventriculos sanguinis, effusio ob plexum choroideum disruptum periculosisima est, & apoplexiā fortē, brevi enecantem, efficit. At vero cum alia etiam sit apoplexiæ non infrequens species, qua ægri salvo pulsu & respiratione facie pulchra & rubicunda, diu sine sensu & motu jacent & tamen servantur, non immerito iudicia, quibus utraque distinguatur, desiderantur. Fortis cum a sanguinis effusione immedicabili fiat, has habet notas: jungitur illi ut plurimum vel paralysis vel convulsio. Illa visitur si unum latus frigidum & quasi mortuum jacet, & alvus sponte fertur: haec vero vehementi

D

thos

thoracis motu & elevatione cum stertore, rhoncho & sonitu, neque minus artuum distractione, elevatione aut ventriculi per vomitū eversione manifestatur, & sanguis interdum ex naribus profluit. In ea vero, secus res habet, quæ minus funesta est, & in hystericis, hypochondriacis, plethoricis, a vasorum cerebri, ob copiosius per spasmos ibi congestum sanguinem, distensione fit: quo casu maxima spes in vena sectione reponenda est, ne res ad pernitialem vasorum ruptionem perveniat.

§. XXIX.

Rarius in thoracis cavitate, nisi a violenta vasorum dilatatione, sanguinis effusio contingit; in abdomine vero id evenisse recordamur. Ante decem circiter annos nobilis in hac urbe femina triginti annorum, elegantis formæ, quartum mensem gravida, præter omnium opinionem de subito virium languore conqueritur, facies contrahitur, livida & frigida sit, ad vomitū adest inclinatio, erecto capite animi defectio invadit, quæ crebrius repetens intra decem horas cum magno dolore mariti uxorem ex vivis abripit. Dissecto abdomine, in ejus cavitate ingens sanguinis congrumati ad libras aliquot copia reperitur, qui ex ovario multum tumefacto & grumis sanguinis obsesto, vasis ejus disruptis profusus fuit.

§. XXX.

Frequentiores autem sunt seri intra cavitates effusiones, & inter has ea, quæ sit in capite, & ætati infantili infesta est, immani magnitudine ac tumore, quem hydrocephalum dicunt, & aliarum partium marcore in conopeum venit. Nimia vero seri intra cavum thoracis collectio & stagnatio, quæ hydrops thoracis audit, iis, qui polypum grandiorem in corde & majoribus ejus vasibus gerunt

gerunt, & asthmate convulsivo laborant, satis frequens est, nunquam fere non, ubi magna spirandi difficultas jungitur, extravasati se i copia in thorace, instituta anatome, visitur. Hæc ipsa vero sic dijudicanda est: respiratio ante difficilis si longe difficilior redditur, & paroxysmus quasi suffocatorius diutissime adfligit, & parum remittit, non infallax feri in thorace copiosius collecti indicium præbet, præsertim, si, quod expulitur, languinei quid præ se fert, quod ob nimiam pulmonum compressionem & diaphragmatis motum cessantem sanguinis liber cursus ex uno ventriculo in alterum intercipitur, & is ex arteria pulmonali, vehementius contracta, in arteriam bronchialem exprimitur, quod signum in funestis præcipuum est. In abdominiscavo serum extravasatum tum ex murmure, fluctuatione, tum etiam ex majori virium destructione & lenta febre, cum viscera corrupti incipiunt, in hydropticis dingoſcitur, quæ corruptio per paracenthesin, aeris atmosphærici liberiori accessu facta, magis magisque promovetur, & mors acceleratur. De purulenta materia ex abscessibus disruptis in cavitates extillante, quibus nimirum effectibus se prodat, jam in superioribus mentio facta est.

### §. XXXI.

Dantur adhuc aliae chronicorum & rebellium affectuum causæ, quæ licet aliquanto rarius occurrant, eo plus tamen habent in sanando & cognoscendo difficultatis. Sunt autem hæ ipsæ partium scirrhosæ indurationes, quæ tum viscera, ex innumeris tenuissimis vasis conflata, tum etiam glandulas, quarum structura identidem mere vasculosa & membranacea est, potissimum invadunt. Cum enim ex obduracione tubolorum trahant sua incu-

nabula, facile colligitur, eas partes, quæ fere ex minimis & capillaribus vasculis constructæ sunt, ejusmodi malis facilius patere. Sicut autem in abdome copia glandularum & variorum viscerum continetur, ita etiam hæc vitia crebrius ibi conspicuntur. Et quia totum pancreas mere glandulosum est, imo corporis glandula maxima, ita etiam nullum præter hoc tam facile scirrhosis indurationibus expositum invenimus. Profecto diuturniora illa mala ac vitia, quæ circa digestionem & primas vias in hypochondriaci s frequenter occurunt, & fere perpetua sunt, ut plurimum pro causa & radice pancreatis inexpugnabilem obstructionem, teste anatome, agnoscant; inde fit, ut ejus succus deficiens, vel intemperato acre imbutus, digestioni & dissolutioni ciborum minus recte succurrere possit. Exterius vero pancreatis scirrus, nisi insignis fuerit, percipi nequit, quod sub ventriculo delitescit; eximior autem, duritie in epigastrio elevato sese manifestat, & a finistris dextrorsum, & abhinc sinistrorsum sensim protruditur.

### ¶. XXXII.

Et cum pylorus eique annexum duodenum copiosis & eximiis glandulis obsessum sit, accidit quandoque, ut scirrhosus tumor etiam in iis deprehendatur, qualis tumor, si aliquanto major fuerit, circa dextrum epigastri latus renitentia se manifestat, & ad tactum digitis comprehenditus, ut non sine dolore, cedit. Pylorum vero & duodeni principium dum ambit idque angustat & fere occludit, alimentorum in ventriculo digesta massa neutquam ad intestina descendere, inque corpus distribui potest, unde fit, ut hoc marcore consumatur: diutius vero alimentorum massa ibi subsistens, & acidior reddit, ventri-

305-

ventriculum ad vomitum sollicitat. Præterea ejusmodi intra duodeni sensibiles membranas subortus tumor distensione acerbissimum & indesinenter dolorem circa ventriculi regionem per aliquot menses excitat, cuius fævitia somnus avertitur, & vires consumuntur.

### §. XXXIII.

Nulla vero in abdomine contenta pars lubentius scirrhis infestatur præter quam vesicæ corpus membranaceū & exparte glandulosum, cui, præsertim circa ejus cervicem, neque tantum externe, sed & interne ipsi adnascentur. Ita *Miscell. Nat. Curios. Cent. I. & II. Obs. 186.* menorant, scirrhosum tumorem exterius vesicæ tam insignem adnatum fuisse, ut totam pelvim impleverit. Produnt ejusmodi tumorem præter dolorem in pube gravativum dysuria cum tenesmo, alvi difficultas; in femina fluor albus sanguini permixtus. Neque novum est, vesicæ orificio interius tumorem scirrhosum adnasci, vel interiorem ambitum orificii in magnam crassitatem excrescere. Hæc difficilem producit miictionem, siue augmentum capit, penne supprimit, quale exemplum habuimus in illustrissimo Comite in thermis Carolinis mortuo. Urina reten ta & vesicam & uretheres farciminis in modum distendit, abdominis sequitur inflatio & febris, occlusi vero orificii scirhoso tumore indicium est catheteris plane negata admissio. Interdum etiam exterius circa ipsum vesicæ collum atque ejus orificium glandulosa surgit excrescentia, quæ urinæ effluxum, & catheteris in vesicam ingressum plane impedit, inde abdomen augetur, v. *Riedlinus obs. 2. Anno 1697. mense Februar.* Quandoque vero non vesicæ cervici adhæret, sed in prostatis consistit, & plerumque ex gonorrhœa male curata oritur, & non modo in urina e-

D 3

mit.

mittenda difficultatem parit, sed & magnitudine increscens collum vesicæ ita comprimit, ut in totum urina supprimatur, quo casu neque catheter, neque remedia interna & externa urinā prolicere possunt, sed vomitus, & convulsiones supervenientes fatalem diem accersunt. Hic tumor num inprostatis consistat, ex eo judicandum venit, si gonorrhœa præcesserit, si que ad radicem penis renitentia quædam observetur. Frequentissime enim accedit a coitu impuro & fluxu semenis maligno, inter initia non prudenter tractato, pessimum prostratas inde contrahere vitium, dum induratae in scirrum abeunt, qui demum sæpe longe post exulceratur, inque fistulamabit, partes vicinas adgredientem, & sic gonorrhœa redditur inveterata ac rebellis, quæ chirurgos & que ac medicos ac ipsos ægros miserrime exercet.

§. XXXIV.

Præterea mesenterium, in cuius centro copiosæ resident glandulæ, generandis ingentis magnitudinis tumoribus, quam maxime opportunum est. Qui atrophia adfliguntur, præter abdomen inflatum, quod subinde in pueris conspicimus, obstructas & valde tumidas in mesenterio, testantibus id anatomicorum observationibus delitescentes glandulas habent, quæ liberum iter ac transitum chyli impediendo, marcorem corpori inferrunt, intestina humoribus replent, qui fluxuum & frequentium dejectionum causæ fiunt. Fit quandoque, ut ingentis magnitudinis scirrus, vel plures etiam mesenterii membranis adhærent, quibus venter in molem surgit, & hi vel ingravitationem, vel molam, vel hydrozem mentiuntur; reliquas vero partes corporis tanta sæpius invadit consumptio, ut cutis tantum ossa contegat,

qua-

qualia exempla passim in gravissimis observationum medicarum scriptoribus leguntur. Tali in casu id faltem cavendum est medico, ne in prognosi se præcipitet, & sui exultimationem lædat: differt enim ejusmodi tumor ventris, scirrhosa glandularum mesenterii magnitudine productus, a graviditate, ingenti & magis magisque incrementante, reliquarum partium contabescentia, & quod tumor non tam ad ilia & versus dorsum, sed potius ad medium abdominis sese extendat: præterea motus infantis vividus hunc morbificū tumorem distinguit. Differt vero ab hydrope, dum huic tumores pedum cedematosi cum facie plumbea & crocea, urina pauca & rubicunda adsificantur, quæ symptomata ab illo affectu aliena sunt, aqua quoq; in scrotum descendit, & in abdomine impressi digi-  
ti vestigia relinquuntur. Multo vero difficultius est, a mola, quæ ab auctoribus vocatur nutritionis, & quæ potius ex- crescentia fungosa utero adnata est, hunc tumorē in femini- nis distinguere, sed tamen in ejusmodi carnosis molis ma- gnum pondus in regione pubis percipitur, alvi & urinæ fit difficultas, & humor peregrinus cum sanguine inter- dum ex poris & glandulis uteri exprimitur, quod in illo affectu non facile accidit.

### §. XXXV.

Scirrhosi vero tumores frequentius duo illa in hypo- chondriis magna viscera sita hepar & lienem adoriuntur, quia ob singularem venæ portæ structurā, dum vasis ad- vehentis & arteriosi munere fungitur, hæc viscera infarcti- bus, obstructionibus, & ex iis pronascentibus scirrhis quæ maxime sunt exposita, quibus generandis adhuc eorum structura vasculosa plurimum velificatur. In hepate si consistit, & magnam ejus partem occupat, gravativus in dextro

dextro hypochondrio percipitur dolor, s<sup>e</sup>pius etiam prædurus ac renitens tumor exterius conspicitur & tangi sub costis spuriis & scrobiculo cordis potest præsertim, si quis in ventre decumbat. Ceterum color faciei flavus & luridus est, facies cum oculis tumida, pedes quoque intumescent, respiratio est difficilior & compressione ventriculi post cibum, præsertim flatulentum, anxietas circa præcordia augetur, nam sumto cibo homo gravatur, detracto melius se habet. Quandocunque lien intumuerit, vel etiam in scirrhum abierit, in latere sinistro versus dorsum sub costis spuriis gravatus & pressorius est dolor, qui usque ad præcordialem regionem sese extendit, cachexia quoque in facie conspicua, & ructus ac flatus incommodant, languet appetentia, spiritus etiam difficulter trahitur. Accidentibus doloribus ex animi graviori affectu, vel aliis de causis spasticis, vomitus cruentus nigrans vel solus, vel ejusdem coloris dejectionibus conjunctus, quem morbum *Hippocrates* nigrum appellat, ut plurimum funestus pronascitur.

#### §. XXXVI.

Scirrhum quandoque etiam uterum invadere, ita ut fere totus in eum mutetur, observationum fide constat & de ejusmodi cau<sup>o</sup> vide *Misc. Nat. Curios. Cent. I. obs. 120.* Hæc vero adsunt symptomata, premitur vesica & intestinum rectum, hinc urinæ ardor, stranguria, alvi evacuatio atque eximus dolor fixus & stabilis circa pubem & circa lumborum regionem vomitum, cibi fastidium & præcordiorum anxietates exfuscat.

#### §. XXXVII.

Sed transeamus jam ad morborum alias causas non ita quidem obvias, milere tamen & variis modis torquentes

tes: hæ sunt massæ quædam ex variis pelliculis & fibris concretæ solidiores, cordis & vasorum cavitatibus præcipue majoribus inhærentes, quæ medicis vero polyporum nomine veniunt. Quam frequentes vero polypi morborum pertinacium & variis symptomatibus ludentium, plerumq; expugnabilium causæ sunt, tam reconditæ vel plane non cognitæ veteribus fuerunt, & a recentioribus hodieque minus digne & recte considerantur. Morbos, quibus sese immiscent, sive acuti sive chronici fuerint, perpetuo fere immedicabiles reddunt, & diligenter cadaverum morte sublatorum anatome nos facit certiores, vix tria cadavera occurrere, ubi non peregrini hi hospites conspectui sese offerant. Domicilium vero suum maxime omnium in cordis thalamis, inque principio arteriæ pulmonalis & arteriæ aortæ, rarissime autem in vena pulmonali habent. Neque sinus cerebri & vasa hypogastrica uteri ab iis sunt immunia. At vero non tantum subitæ mortis, ubi vasorum orificia, præsertim in dextro ventriculo claudit, sed & si pulmonarybus inhærent, gravissimæ & saepe funestæ hæmoptyseos, catarrhi suffocativi, asthmatis convulsivi, nec non hydro-pis thoracis causa sunt. In Cordis thalamis ubi fuerit impactus, pertinacissimam cordis palpitationem cum hydrope pericardii parit, & quia sanguinis circulationi per totum fere corpus maxime vero in abdominis visceribus obicem ponit, frequentissima hydrops tam anasarcae, quam etiam ascitidis causa fit. Si quando in sinibus cerebri hæret, atrocissimis capitis doloribus, hæmiplexiæ, quin etiam apoplexiæ occasionem subministrat. Plurimum itaque interest, ut medicus hos occultos, sed infensissimos motuum vitalium hostes exploret ac detegat.

E

Mit-

Mittamus jam temperamentum sangvineum, & habitum corporis angustioribus vasis, fibrisque mollioribus donatum, vitæ genus laboris & motus expers, parciorem potum & usum eorum alimentorum, quæ glutinosum succum præbent, facilesque sunt ad coagulum subeundum, quæ omnia & singula ad generationem ingratorum horum hospitum symbolum suum conferunt. Proximiora igitur & manifesta, quibus horum præsentia conjici & dijudicari debeat, adferemus. Qui polypo affecti sunt, frequentiori vel levi de causa recurrente cordis palpitatione laborant, deinde pulsus miris modis inæqualis & varius est, sæpiusque notabilibus intervallis intermittit. Tum a motu corporis fortiori vel medicamento sangvinem exagitante sumto, aut ab affectu animi vehementiore dyspnœa & incredibilis cordis anxietas urget. Postremo, lipothymiaæ frequentia, sine causa evidente, vel quæ a certo corporis decubitu provenit, est in signis polypi præcipuis commemoranda.

#### §. XXXVIII.

Quandocunque ejusmodi carnosæ & membranosæ involutæ concretiones vasa uterina opplent, varia circa uterum & mensium negotia insolita pathemata occurunt. Notum ex pathologicis fundamentis est, certam hydropis speciem, quæ maxime inferiorem abdominis regionem petit, utero veluti causæ adscribi, neque sine ratione. Etenim si libera sanguinis per ejus vasa progressio impeditur, quod promissime fit ejus vasis polyposis massis obstructis, non potest non fieri, quin ingens seri copia secedens, vel in uteri aut in abdominis cavitatem descendat. Cl. Payerus in Hist. Anat. p. 127. feminam tumore hydropico demortuam disseciuit, ubi uteri vasa copiosis

piosis molis carneis intus obsessa erant. Ante aliquot annos semina generosa Berolini peculiari laboravit affe-ctu: per aliquot nempe menses ex utero limpidissima a-qua, quæ intra viginti quatuor horas interdum libram æquabat, ex utero stillavit, quæ tandem marcore & febre confecta obiit. Uterus post sectionem magna ex parte scirrhosus, ex parte etiam polypis quoad vasa obsessus in-ventus fuit ; accidit enim, ut serum in hydatides five magnas vesicas abeat, quæ si fuerint intra uterum ruptæ, aqua ex orificio uteri extillat, si vero interiorem uteri substantiam obsident, aqua in cavum abdominis funditur. Referenda huc est ea historia, quam *Vesalius Lib. V. corpo-ris humani fabrica Cap. IX.* de quadam muliere Augustana refert: se in ejus uteri cavitate serofæ materiæ supra sexaginta mensuras Augustanas reperiisse, nullibi quoad reliqua viscera aqua præsente. Et *Mauritius Cordæus Comment. in Lib. I. Hippocr. de morb. mulier.* notabilem ad-fert historiam mulieris hydrope uteri laborantis, in cuius utero & reliquis corporis partibus plurimæ vesiculæ a-qua citrina plenæ repertæ fuerunt.

### §. XXXIX.

Neque dubium est, quin polypi uterini causa profu-sissimæ sæpius sint hæmorrhagiæ &, non secus, ac qui vasa pulmonum obsident, in coercibilem hæmopty-fin proferunt. Quæ frequenter abortiunt feminæ san-guine redundantes, iis solenne admodum est, ut non multo ante abortum tempore cum ingenti lumborum dolo-re primo sanguinem, deinde massas carneas ovi galli-nacei magnitudine, numero plures ejiciant. Has enormis non raro cum animi defectione sanguinis ef-fusio sequitur, paulo post embryo succedit. Hæ mas-

ſæ falso habentur pro molis, quæ nihil aliud sunt, quam polyposæ ejusmodi a mucido stagnante intra venas uterinas sanguine concretiones, quibus ejectis ob vasorum nimiam distensionem & apertioñem largissima sanguinis effusio sequi necessario debet. Id vero interdum accidit, ut aliquot ex ipsis placentulis abortivis in uteri cavitate maneant, ibique indurentur, variaque symptomata producant, quorum causa mola a medicis communiter dicitur & habetur, cuius indicia sunt, si intumescit abdomen, tumor vero magis ponderosus & durus est in ventre, nec versus umbilicum extenditur, sed in inguine subsistit, nullus se exerit motus infantis, nec verus, nec calcitrativus, neque circa umbilici regionem, nec exterius percipitur, sed interius debilis & tremulus est: junguntur multæ præcordiorum anxietates cum tensivis doloribus. Quandoque cum ſævifimis partus doloribus ejusmodi molæ, quæ nonnisi membracea concreta sunt, excluduntur, unde venter mox in totum subſidet. Plurimum itaque refert, ne medicus minus circumſpecte ejusmodi ventris a mola intumentiam pro vera ingravidatione habeat judicetque.

## §. XL.

A polypis ad alias res fere leves & ludicas, nihilominus ſævifimorum, quin lethalium adfectuum causas nos convertimus, inter quas jure meritoque calculus ex materia tartarea, terrea, mucida concretus, si infelicitate canales vel cavitates eximias & notabiles obſtruat, refertur. De renūm calculo illud perquam notatum dignum est, eum, quamdiu renūm incolit ſubſtantiam, nihil moleſti ſenſus creare, ſimulac vero incipit e ſede ſua moveri, & uretherem ingredi, tunc protinus incre-  
dibi-

309.

dibilis se primo in lumbis, postea in lateribus circa ilea secundum uretherum ductum se exerit dolor, quem ordinario fere nausea, vomitus, summa anxietas, extremorum frigus, stupor, partis affectæ, ardor urinæ, calor præternaturalis, alvus constricta, contracção testiculi, vigilia comitatur. Quandoque etiam sese atroces in ventre cruciatus immiscent, qui, si calculus subito per urethes transit, atrocissimi evadunt, ut medentum interdum peritiores, & qui prima vice cum hoc malo conflentur, morbum potius pro convulsiva & funesta colica, quam pro calculo habeant. Neque inficiandum est, dolores ex calculo plura habere cum colica spasmodica communia, in eo tamen mihi differentia utriusque affectus reponenda videtur, quod calculus subito & cum atrocia invadat, & principium in lumbis habeat, & ventriculum ad nauseam & vomitionem sollicitet, in urina præterea crassius fabulum conspicatur. Tandem nec hic prætereundum est, quod, si ren male affectus & prægrandibus calculis obsessus fuerit, flatus in intestino colo ejusdem lateris stagnantes dolorem ibi satis molestum procreent, vel quod eum e sede sua dimoveant, vel quod mutuo contactu & attritione intestini flatibus distenti & renis calculis expansi dolor ille suscitetur.

#### §. XLI.

At vero longe majores molestiae sunt quas calculus uretheribus firmius ac diutius impactus efficit, dum enim urinæ liberum in vesicam transfluxū intercipit, pertinax inde sit dysuria & feralis urinæ suppressio, quæ etiam pro diverso situ calculi certis suis notis ac indiciis dijudicanda est, quas hoc loco exponere, non erit incongruum. Ubi urina supprimitur & calculus uretheris cavitatem obstruit, vesica est vacua, catheter potest immitti,

E 3

sed

sed parum humoris extrahit, tantaque est doloris circa ilea atrocia, ut spastica constrictio etiam alterum uretherem in consensum rapiat. Si vero calculus vel etiam sanguinis grumus circa orificium uretheris, ubi obliquo ductu per vesicæ membranas transit, hæret, vesica etiam ab urina vacua est & immanis cruciatus in inguine sentitur.

### §. XLII.

Deinceps sicut calculus in renibus, ita etiam, qui in vesica delitescit, & urinæ egressum impedit, non caret suis diagnosticis signis. De tumore & dolore in pube conqueruntur, urina guttatum emittitur quandoque cum horribili cruciatu, & sèpius crassum ac puriforme sedimentum deponit permixtis corpusculis nunc carptam lanam, nunc vermiculos referentibus. Interdum accidit, ut urina copiofissima reddatur, quandoque alvus & urina supprimatur, & abdomen ad lapidis duritiem cum dolore circa pubem acutissimo cum horrore molesto distendatur. Interdum alvus subducitur cum flatu & larga lotii emissione. Si atrox dolor adeat, anorexia, febris & constrictio alvi urget & urina, pauca, pallida tamen, cum magno niſu & molestia excernitur. Hæc symptomata adfligunt, si quando lapis scaber, non adeo magnus & figuræ complanatae ac ovalis est, & orificum tegit obstruitque, & ab alperitate & attritione dolorificus spasmus fit, qui tam atrocia gignit symptomata. Per intervalla vesicæ calculo laborantes, præsertim sub boreali aëris statu, item flatibus retentis, & alvo obstructa graviori cruciatu & pondere laborant, mihi fit sèpius purulenta, in senibus jungitur tenesmus, membra pruritus & alvi cum urina effusio est interdum etiam ipsa alvus procidit: pro situ vero corporis variante levamen accipiunt.

### §. XLIII.

## §. XLIII.

Quod attinet ad vesiculam felleam, neque hæc a calculosis concretionibus libera deprehenditur, sed saepius scule calculi ingentis magnitudinis ejus cavitatem totam replet: interdum numero plures variae figuræ ac magnitudinis ibi delitescunt, & gravibus symptomatibus corpora adfligunt, quæ tamen non eadem, sed diversimode se habent, prout vel ingens calculus in vesica fixum habet domicilium, vel prout per ductum cholodochum transitum ii moliuntur. Quandocunque fellis vesica tota fere lapillis turget ac repleta est, pertinax cum gravativo & continuo dolore dextri hypochondri icterus omnium remediorum efficaciam eludens, corpus flavedine tingit, cui, si diuturnior fuerit, morbus arquatus adjungi solet. Quibusdam continua nausea vel etiam ciborum vomitio, in aliis atrocissimus ischiadicus dolor & asthma diuturnum conjungitur. Præterea quibus ingens in fellis vesicula calculus est, ab iracundia insolentia symptomata patiuntur. Nam quando a vehementiori iracundiæ affectu spastica, ut ordinario solet, ductuum biliariorum constrictio fit, liber bilis in duodenum effluxus impeditur, sed ipsa regurgitat ad vasa biliaria felleamque cystidem, inde efficitur, ut, cum calculis cystis jam repleta fuerit, a bilis copia ductus valde sensibiles distendantur, hinc ob consensem non modo acutissimus abdominis dolor, præcipue in dextro hypochondrio oritur, sed & tanta respirandi fit angustia & difficultas, ut suffocationis periculum appearat cum alvo simul adstricta & extremerū refrigeratione. Si vero ipse calculus transitum per ductum cysticum & cholodochum, qui intra membranas duodeni fertur, affectat,

fectat, fixus & intolerabilis circa eam regionem, qua duetus cholodochus duodeno inseritur, in dextro hypochondrio est dolor cum molestissimo vomendi conatu, nauæa, appetitus dejectione, colore cutis intense flavo, membrorum lassitudine, alvi duritie : quæ symptomata una cum flavescente cutis colore repente & ex toto solent remittere excretis per anum calculis pondere levissimis, & tunc ipsa cutis nitorem suum recuperat.

## §. XLIV.

A calculis devenimus jam ad alias ludicras res, quæ tamen potentissimæ sunt ad corpora humana tam misere adfligenda, ut non majora propemodum tormenta possint excogitari. Ethæ sunt varia ratione figuræ & magnitudinis infecta, sive vermes, qui maxime ventriculum & alimentorum magnum illum canalem inhabitant, ibique nidos & hospitia sua habent. Non eadem vero sed diversa pro locis, quibus insident, & prout variæ eorum sunt species, pathemata observantur. Si rotundi proboscide & pedunculis quasi totidem uncis instruti fuerint, graviter rodunt, laciniant, & interdum membranas perforant. Hi si ventriculum obsident, incredibilis ejus morsus cum inexplicabili dolore, anxietate, inquietudine, nauæa, salivæ fluxu infestat : foetidus ex ore vapor exhalat, vultus mox pallet, mox rubet, narium adest pruritus, vomendi cupiditas & sicca ac molesta tussis per intervalla adfligit, animi que defectio frequentius jungitur.

## §. XLV.

Si in intestinis præsertim ileo, cui lubentissime insident, eo quod amarorem bilis minus fere possint, nidum suum habeant, hæc sunt indicio symptomata : venter mirifi-

mirifice præsertim in infantibus distenditur, ut tympanitide laborare videantur; alvi subinde nimia jungitur dejectio, qua feces fœtidæ coloris cinerei, stercori bubulo similes secedunt, partes superiores tabescunt, ita prorsus, ut nonnisi ossa cohærentia conspiciantur, licet multum appetant. Facies plerumque pallet & tumida est, lumbrici vero, qui hoc intestinum occupant, plerumque lati sunt & longi & mirifice se convoluunt, neque tam alacres sunt, quam rotundi: excrementa solent quam maxime hos lumbricos patefacere, quia cum illis ramenta quædam seminibus cucumeris vel cucurbitarum similia ejiciuntur.

### §. XLVI.

Quod attinet ad ascarides, neque hæ obscuris indicis se produnt; hospitium suum quam maxime in intestinis crassis quærunt, & frequentius ac copiosissime recto intestino insident, similesque tineis sunt, & manipulatim sæpe alvo ejiciuntur, & ex iis non raro prorepere & mulieribus pudendis se insinuare solent, hinc accidit, ut cum urina in matulam descendant. Atque adeo incautioribus medicis hac ratione imponitur, ac si in vesica contineantur. Ut ut vero multa cum reliquis infectis communia habeant, si inflationem abdominis, si maciem, si naufragiam respiciamus, in eo tamen quædam est differentia, quod multus ac gravis pruritus in ano percipiatur, & alvus ad deponendum frequentius sollicitetur, odorem identidem fœtidum excrementa exhalent. Hæ vermium species natu etiam majores præsertim feminas luxui & otio indulgentes divexare solent. Ceterum lumbrici obtusum, febrem & lateris dolorem sæpius pleuritidem mentionantur, sed hæc distinguitur a vermium symptomatibus,

F

cum

cum hic dolor sub costis spuriis sit, nec febris acuta, sed lenta, nec tussis sangvinolenta adsit.

### §. XLVII.

Illud præterea notandum est, quod febres subinde eos invadere solent, qui vermis exercentur, sed ex lentarum & putridarum sunt numero, & similes quotidianis, nullum vero servant typum, sed sunt erraticæ cum pulsu inæquali frequenti & obscuro. Neque dubium est, quin ex vermis, si in putredinem fœtidam colliquescant, exsurgant. Unicum adhuc commemorandum est, quod vermes præsertim minuti, quos sex pedibus cum nigro capite instructos vidimus, si nerveas tunicas intestinalium fortiter lancingant, arrodunt, mirabilia atque insolita, quæ ab imprudentiori vulgo incantationibus solent adscribi, symptomata producunt, quandoquidem convulsivæ artuum ad stuporem usque tractiones, distensiones & incredibilis circumgyrationes eos torquent, mox aphonia tentantur, mox aliena & male cohærentia cum mentis turbatione loquuntur, strident dentibus, in furorem agitantur, dæmonia se videre adseverant. Remittit tamen sèpius hæc symptomatum sævitia, si nimis rorosione desistunt: tam valde gravis vero symptomatum violentia non aliunde repetenda videtur, quam quod universum genus nervosum a vehementi rorosione tunicarum intestinalium mutua consensione & communicatione in validissimos hos motus rapiatur.

### §. XLVIII.

Neque silentio præterire oportet flatus, qui utut res levissimi momenti videantur, tantas tamen anxietates, cruciatus & insolentia in dissitis etiam partibus symptomata concitant, ut vitam in summo discrimine positam cre-

credas. Maxime omnium vero tyrannidem suam in magno illo ventriculi & intestinalorum canale violenta distensione & nervorum tractione exercent. Causa ut plurimum est tenax & viscida copioso aere plena materia, quae a calore in halitus, quibus inest magna expansiva vis, resolvitur; atonia vero sive paralytica quedam resolutionis tunicarum ventriculi & intestinalium causa est nimiae expansionis, cum alias intestinalis tono & resistantiae potentia instruta flatus propellant. Symptomata pro differentia locorum differunt. Ventriculus ab iis inflatus & fortiter expansus summas praecordiorum anxietates & respirandi ad suffocationem usque angustiam cum faucium constrictione efficit, atque inferior ejus pars sub cordis scrobiculo versus latus dextrum instar vesicæ turgidæ ovi gallinacei magnitudine sensibus & tactui, sece offert: ruetus si superveniunt, quibus flatum exitus conceditur, anxietatum fit allevatio: hæc ventriculi inflatio hypochondriacis & hysteris frequentissima valde gravium & multorum pathematum causa exigit.

### §. XLIX.

Fit quandoque, ut tota intestinalorum moles flatibus mirifice distenta ingentem abdominis tumorem efficiat, hinc dolores atroces cum' alvi adstrictione fiunt, qui affectus colica flatulenta vocari solet. Si distensio hæc est diuturna ob intestinalorum quandam paralysin & viscidae materiae copiam intus hærentem, abdomen instar tympani distenditur; tandem jungitur cachexia & tabes, & morbus vocatur tympanitis. Sæpius vero accedit, ut tandemmodo partes quedam intestini præfertim coli flatu dolorifice distendantur, quod circa hypochondria utramque sæpiissime conspicimus, quia ibi intestini coli dantur

528

flexuræ, quæ impediunt, quo minus & flatus & alia contenta promte transeant, sed potius ibi stagnent. Familiarisime id in hypochondriacis contingit, & perperam dolor ille tensivus sinistri lateris pro tumore & inflatione lienis a medicis anatomes ignaris habetur, cum tamen lien in homine non in hypochondrio sed potius in dorso sub diaphragmate situm suum habeat. Neque deficiunt observationes, ubi in osse ilei dextri ingens & dolorificus tumor diutius per intervalla affligit, qui tamen a cibis flatule ntis sumtis exacerbatur. Hic suum habet situm principium coli satis capax & membranis robustis motricibus instructum, ut sursum excrementa propellere possit; si itaque atonia laborat, flatus & feces ibi stagnant, tam graviter saepius, ut periculum ruptionis sit, quod etiam quandoque factum observationes practicæ & anatomicæ confirmant. Ejusmodi vero flatulentos tumores exinde licet cognoscere, si ad emissionem flatuum vel ejectionem materiæ tenacis copiosæ per vomitum aut secessionem tumores cum dolorum allevatione minuantur. Dolores lumborum, pulsuum intermissio, dolores in osse coxendicis, tumores pedum œdematosi saepè solis flatibus intestina distendentibus & vasa vel nervos comprimentibus debentur, & datis carminativis ac clysteribus conquiescent. A fortiori vero ventriculi inflatione saepius sine omni sensu & motu jacent hystericae, fere omni respiratione destitutæ, ob descensum diaphragmatis penitus interceptum.

### §. L.

Restat adhuc alia causa memoranda, quæ in ventriculo neque minus in intestinis consistit, rariusque animadvertisit, mortis tamen & gravissimorum morborum  
ge-

genitrix est. Et haec est ventriculi vel etiam intestinalium tunicarum erosio, quae vel ab erodentium acidorum succorum copia in hypochondriacis saepissime fit, vel etiam ab iracundia vehementi & frequenti paratur, aut a sumto veneno, emetico vel purganti acriore, aut post cholerae vel dysenteriae aut diarrhae morbum relinquitur. Affectus est chronicus, hinc distinguitur ab inflammatione, quae celerum passionum praecipua. Si est in ventriculo & duodeno, continuus & fixus dolor est circa praecordia, tensivus, tractorius, interdum cum ardoris sensu, qui usque ad dorsum pertingit, & summas anxietates circa praecordia facit, ipsum quoque jugulum petit, & valde debilitatem post omnem medicinam aut cibum aliquanto intemperatiorem, quam salsa, calida, acidæ, spirituosa, acris est naturæ, exacerbatur, a purgantibus vero atrocissimus redditur. Demulcentia, humectantia atque emollientia & maxime medicamenta ex chamomilla ex floribus millefolii ferre potest: inclinatio est ad nauseam, item ad vomitum, pulsus accedens celeritas magnam desperacionem habet. Quodsi vero in intestino quodam ejusmodi erosio fuerit, identidem dolores in abdomine, in dorso cruentiant, qui semper adsumunt calidis, salsa, acidis mirum exacerbantur, dejectiones alvi sunt creberrimæ & varia caloris & frigoris est in corpore mutatio, urina mox tenuis & aquosa, mox rubicunda & crassa mingitur, malum etiam admodum diuturnum est & vires depascit corpusque consumit. Ejusmodi mala longius tempus, & accuratam ac demulcentem dietam plus quam medicamenta praesertim activiora desiderant.

## §. LI.

Ultimo loco de inflammatione ventriculi quædam etiam dicenda restant. Et ut ut ubiorem de hac tractationem, de morbis cognoscendis, ad tempus, quo agemus reservamus, nihil tamen obstat, quin & hic loci mentionem quandam injiciamus, eo, quod hæc acerbissima passio a medicis rarius dignoscatur, & consideretur, cum experientia testatum faciat, hanc ejus esse ingenii ut celerrime hominem interficiat. Hæc præterea plurimis acutis morbis in fine supervenit & lethum infert. Hac quoque omnes pereunt, qui venenum intus sumserunt. Gravissima sunt symptomata, quæ ex hac profluunt; si causa fuerit violenta, intolerabilis præcordiorum est anxietas, inquietudo, spirandi angustia, cum sudore frigido juncta animi defectio, pulsus inæqualis intermittens, quandoque plane deficiens, perpetua adeat nausea, vomitio quoque, alvus constricta, extremitorum refrigeratio, summaque virium prostratio. Signum pathognomonicum maxime est dolor acutus & ardens circa cordis scrobiculum dextrumque latus, & hujus assumptis spirituosis vel acribus ingens exacerbatio. Si est ab ira præcedente, tum compressivus simul adeat circa dextrum regionis epigastricæ latus cum summo ardore dolor, cum facie & oculi albo flavescente. Si est a veneno, tunc atrocissima junguntur tormenta, vomitiones & alvi fluxus. Cavendum est ne ventriculi inflammatio cum cardialgia confundatur, quæ pungitivum magis habet dolorem citra ardorem & pulsus mutationem, citra etiam subversionem ventriculi, dolor per medium ventrem ad dorsum usque penetrat. Circumspiciendum etiam est, ne cum dolore colli-

colico, quod imperitiores faciunt, confundatur, quia in colica dolor magis est vagus, nec tam ardens & fixus, & sedes doloris super abdomen extenditur, & sicuti ventriculi inflammatio omnia respuit paulo activiora remedia; ita etiam a purgantibus acrioris vel emetici mitigatori etiam dosi exacerbatur, ita prorsus, ut funesta subinde protinus symptomata consequantur: sicuti complura in promptu semper habuimus & habemus exempla Sunt vero adhuc multæ aliæ morborum causæ, quæ in partibus fluidis consistunt, si vel quantitate vel maligna qualitate & peregrina mixtione delinquunt, item humores, quorum copia prima regio obsessa est, crudi, impuri, acidi vel etiam biliosi, erodentes, quorum magna vis in producendis morbis est peccent. Sed quia hæc paulo specialiorem tractationem expetunt, nolumus hac vice esse longiores, sed in aliud tempus nobilissimum hoc argumentum bono cum DEo reservamus.

## S. D. G.



NOBI-

NOBILISSIMO ET PRÆCLARE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO  
S. P. D.  
PRAESES.

Æpe cogitanti mihi de causis tot tantarumque ut  
in omnis generis, ita etiam in medica disciplina  
diffensionum, & valde inter se dissidentium circa i-  
dem subinde argumentum opinionum, quas no-  
vitatis studiosa ingeniorum ambitio indies in im-  
mensum fere accumulat, non alia in mentem venit, quam  
quod paucis admodum via ad veritatem pervenienti co-  
gnita atque perspecta sit. Enimvero per veritatem non  
eam intellectam volo, quæ res facti & effectus paulo ex-  
actius recenset, & historias rerum complectitur, quæ  
memoriae & sedulæ attentionis potissimum filia est;  
sed ea hic intelligenda venit, quæ causas, modos ac fines  
rerum omnibus indagat vestigiis, & ab intellectu tan-  
quam sublimori animæ parte proficiscitur. Via autem,  
quæ nobis ad veritatem aditum ac fores aperit, haud alia  
patet, quam quæ ex simplicibus & jam cognitis conveni-  
enti nexu & ordine incognita adhuc & minus certa dete-  
git atque enucleat. Duo nempe, quæ inquirendæ veri-  
tati maxime velificantur, extant subsidia, quorum alterum  
sunt quædam jam nota, vera, & extra omnem du-  
bitationis aleam posita, ex quibus postea omnes demon-  
strationes fluere ac derivari debent. Alterum est ipsa  
methodus demonstrandi, quæ per syllogismos institui-  
tur, quorum debita & ordine facta connexio demon-  
strationem conficit. Hæc simplicissima quidem, sed  
vere

vere regia & proxima via est, qua in omni doctrina ad veritatem graffamur, & sine hac vix ulla unquam fructuosa veritas ad liquidum perducta ac proposita fuit. Sed quo antiquior, quo facilior ac simplicior est, hoc minus tamen cognita atque in usu est, ita prorsus, ut hac tempestate a multorum intelligentia vel plane remota sit, vel omnino insuper ac neglectui habeatur. Ubiq; enim his temporibus de rerum definitionibus, axiomatibus, & observationibus, quæ tamen primi omnis demonstrationis fontes atque origines sunt, neque minus de syllogismis, altum est plerumque silentium. Accedit nonnullorum levitas ac præcipitania, quæ eo usque procedit, ut hæc ceu trivialia, & quæ quasi umbram & pulverem scholasticum redoleant, derisi ac ludibrio habeant. Mathematici, inque primis geometræ, omnium philosophorum consensu in demonstrationibus perspicacissimi, nunquam alia, præter hanc dictam, methodo usi fuerunt. Quid enim eorum theorematæ & corollaria aliud sunt, quam syllogismorum connexiones? Eaque propter & olim & omni ævo a sapientissimis mortalium numerorum ac geometriæ scientia omnibus doctrinarum capacibus ingeniis maxime omnium commendata fuit, ut ingenia in flexibili ætate veritatibus assuefiant demonstratione eruendis, & præcipue ad ordinis leges adstringantur, ne extra circumscriptos cancellos temere evagari possint. Pulchre hoc intellexit antiquissimus medicinæ parens, Hippocrates, qui filio Thessalo, medicinæ destinato, præcipue geometriam addiscendam commendat, eo quod hæc omnia cum demonstratione transigat, mentemque acutiorem & clariorem efficiat ad eorum, quorum usus in medicina expetitur, utilitatem consequendam. Galenus, quo nec quisquam in demon-

G stran-

strando, (licet ex principiis fictis suas deduxerit demon-  
strationes) excellentior fuit, in prima ac præcipua felici-  
tatis suæ parte ponit, quod parens mathematicus nume-  
rorum ac geometriæ scientiam ipsi tradendam curaverit.  
Inventa igitur veritatis via jam in proclivi est intelligere,  
quænam ad errores, qui nihil nisi rerum confusiones sunt,  
via seducat. Nimirum sicuti veritatis historicæ memo-  
ria ; demonstrativæ autem intellectus autor est: ita o-  
mnium errorum genetrix phantasia nominari debet.  
Hæc non ex ipsis rebus ideas haurit, sed omnia ad fictio-  
nes & imaginationem æstimat. Et quemadmodum im-  
mensæ sunt phantasiæ vires; ita etiam vel sexcentis hy-  
pothesibus producendis idonea est. At vero hos phan-  
tasiæ fœtus a veris conceptibus distinguere admodum in  
difficili loco positum videtur, quod vel exinde patet,  
quia, qui fictiones odio habent, & publice detestantur,  
profundius iis immersos conspicimus. Neque vero a-  
lius veri character est, quam simplicitas & in applicando  
usus, siquidem omnis veritas est frugifera, ita, ut una al-  
teram pariat. Fictionum vero certissimi indices sunt  
obscuritas, & in applicando sterilitas. Deinde vires  
phantasiæ maxime se extendunt ad ea, quæ recondita at-  
que abstrusa sunt, & limites intellectus transgrediuntur,  
unde non possunt non fictiones nullius usus enasci. Sic-  
ut itaque non alia, quam hæc simplicissima ad verita-  
tem via datur, ita etiam hæc in medica doctrina unice  
calcanda atque terenda est. Principia, quibus medicus  
in demonstrando utitur, sunt partim obseruationes ex-  
perimentis anatomicis, physicis, chymicis, mechanicis  
& practicis eruendæ, partim veræ definitiones vitæ, sani-  
tatis, morborum ac remediorum. Neque alia est de-  
monstrandimethodus, quam quæ per syllogismos, eo-  
rum-

rumque connexionem procedit. Atque hac ratione o-  
mnia in medicina difficultia redduntur facilia, incognita  
in clarissima veritatis luce collocantur, errores detegun-  
tur, multaque nova subinde utilia inveniuntur. Præfa-  
ri hæc, clarissime Dn. CANDIDATE, placuit, cum Tibi de  
egregiis in arte medica profectibus, horumque promeriti-  
tis præmiis plurimum gratulandum arbitrarer, tum ut  
ostenderem, qua methodo salutaris artis nostræ præce-  
pta a me edocitus fueris, tum etiam, ut hanc demonstren-  
di viam, quam semel ingressus es, iterum iterumque tibi  
commendarem. Ingens tibi divinum Numen præsttit  
beneficium, quod parens, medicus candore, judicio, &  
peritia non mediocri eminens, institutionem tuam à pue-  
ro prudenter gubernaverit, & quibus subsidiis ac præce-  
ptoribus in re philosophica & medica potissimum uti de-  
beres, suasor & auctor tibi fuerit. Factum hinc est, ut  
indolem bonam descendique avidam assidua diligentia &  
saluberrimis præceptis ita perfeceris, ut in medicina ve-  
rum a falso, perspicuum ob obscuro, facile a diffici, utile  
ab inutili, veritates firmas ab hypothesibus, methodum  
simplicem a prolixa distinguere scias. Magnam itaque  
spem ingredior, fore, ut sub præsidio divinæ gratiæ, & fi-  
dissimi parentis ad praxin ductu tanta profectibus tuis  
fiat accessio, quo res medica & publica, atque ægrotan-  
tium miseria & expectatio amplissimum fructum a te  
repetere possint. Cæterum destinatos honores tibi  
gratulor, Deumque veneror, ut hos tibi felices ac for-  
tunatos, amplissimum vero parentem Tuum, amicum  
veterem & ab academicis annis mihi cognitum, diu ad-  
huc salvum & incolumen esse jubeat. Vale.

ROSENBERG

Sonnet.

## Sonnet.

**H**ochwerther/ da Hyginens Hand  
Dich in den Ehren-Tempel führet,  
Und Dir das Haar mit Lorbeer zieret,  
So hat in mir Dein neuer Stand  
Zwar Freuden-Kerzen angebrannt;  
Doch hab ich wie Dein Auge spüret,  
Vor Dich auf gar kein Lob studiret:  
Mir deucht, es wär nicht angewandt.  
Denn daß Dein Wissen trefflich ist,  
Das wird man ohne mich schon wissen.  
Weil Dich/da Du ein Meister bist,  
Die Werke selber loben müssen.  
Drum wünschet nur die frohe Brust:  
Dein Leben sey allzeit voll Lust!

Halle den 27. September

1717.

Hiermit wolte dem Preiswürdigen CANDIDATO sein ergebenstes Gemüthe  
bezeugen

Dessen

Verbundenster Diener

ROSANTES.



